

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9717

Auteur(s) : Jean Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : La Hoguette, Saint-André-en-Gouffern (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1179, octobre -1186, septembre]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Jean [Ier], comte [d'Alençon], fils du comte Guillaume de Ponthieu, notifie que le prêtre Guillaume, son frère Ursel, et la femme et les enfants de celui-ci ont renoncé à leur réclamation sur l'église Saint-Rémi de Montgaroult autrefois donnée audit prêtre par l'abbé Raoul de Saint-André-en-Gouffern. Il confirme également les donations faites par eux de deux tiers des dîmes de ladite église et d'autres terres aux moines de la même abbaye.

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Arch. dép. Calvados, H6511/10.

Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 1, « Abbaye Saint-André-en-Gouffern », n° 25-190, p. 411.

Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Simon, abbé de Savigny, oct. 1179 – sept. 1186 († 1189).

Texte d'après A

Universis sancte Ecclesie fidelibus, Johannes comes, filius Willelmi comitis Pontivii, salutem. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod Radulfus primus abbas Sancti Andree de Gufer et ejusdem ecclesie conventus dederunt Willelmo, sacerdoti, ecclesiam Sancti Remigii de Montguarol in elemosinam cum decima de feodo suo ad illam pertinente, quam Willelmus comes, pater meus, ejusdem monachis in perpetuam dedit et concessit cum omni dominio suo ejusdem ville. Procedente vero tempore predictus Willelmus sacerdos et Ursellus frater ejus et uxor et omnes filii et filie Urselli, consilio maligno decepti, jure hereditario dicebant se possidere, quod abbas et predicti monachi tantummodo Willelmo sacerdoti in elemosinam dederant. Postea sacerdos et Ursellus et uxor et omnes filii et filie, memores vite eterne et animarum suarum periculum timentes, recognoverunt coram nobis quod sepedictus Willelmus sacerdos veraciter in elemosinam a monachis acceperat, quod ipsi prius jure hereditario tenere asserebant. Recognoscentes igitur coram nobis quod male tenuerant, reddiderunt sepedictis monachis et concesserunt et dederunt in perpetuam elemosinam omni hereditate et calumpnia omissa, duas partes gelimarum totius decime de Monguarol illarum, videlicet que sunt de dominatu eorundem monachorum, tertia parte sacerdoti quamdiu vixerit remanente. Preterea dederunt et concesserunt monachis masnagium quod est

juxta virgultum Gervasii de Monguarol et .I. acram terre juxta crucem et .I. acram ad Malpertuis, et dimidiam acram erga Fontenelles. Hec omnia supradicta libera et omnino quieta dederunt et concesserunt, et super altare Sancte Marie Sanctique Andree posuerunt, et hoc coram monachis super .IIIor. Evangelia tenere juraverunt. Sciendum quod pro his donationibus et concessionibus Willelmus et Ursellus frater ejus de substantia domus Sancti Andree habuerunt .XX. libras Andegavensium et uxor Urselli .I. vacam et major filiarum .I. vacam et unusquisque filiorum Urselli .I. tunicam de pannis Bernaii. Notandum est preterea quod tota illa supradicta decima per famulum monachorum tracta veniet ad grangiam monachorum que est in eadem villa et ibi excutietur et postea de eadem decima sacerdos tertiam partem bladi tantummodo cum bato accipiet, tractore ejusdem decime prius premium trahendi de communi blado collente, ceteris omnibus monachis remanentibus. Ut autem hec omnia futuris temporibus firma permanerent et inconcussa, presentis scripti testimonio et presentis sigilli mei munimine fecimus sigillari. Testibus his, Simone abbate Savigniensi, Hugone clerico de Seran, Gervasio de Roiseio capellano meo. Johanne comite filio meo, Roberto de Nuileio, Hamelino de Marceio, Ricardo de Erablis, Roberto de Costentino, Gaufrido de Milon, Gaufrido de Bercai, Johannes de Toart et Herberto fratre ejus, Willelmo filio Ricardi, Roberto de Belloio, Ogerio de Oistrehan et aliis quam pluribus.